



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1849

XIX. Des Rathes zu Brietzen Privilegium für die dortige Bäckerzunft, vom 16. Dez. 1242.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54022)

ribus, gratiis, commodis, libertatibus et honoribus probabilibus seu debite consuētis apud Predecessores nostros Marchiones Brandenburgenses bone recordationis usis hactenus et gavisis, volumus gratuite conservare. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus appendendum. Datum Berlin Anno domini Millesimo CCC quadragesimo primo, die dominico post diem beati Jacobi apostoli.

XVIII. Markgraf Ludwig verkauft der Stadt Brietzen die Heide oberhalb und unterhalb der Stadt, den Zoll mit den dazu gehörigen Holzungen, am 9. August 1342.

In nomine Domini Amen. Ludovicus Dei gr. etc. omnibus hanc literam cernentibus in perpetuum. Gesta hominum ducerentur frequentius in irritum et inane, si non voce testium et scriptis autentice recipere firmamentum. Nosse igitur presentes volumus posteros nec latere, quod de matura deliberatione ac voluntate libera cum unanimi nostri consilii consensu civitati nostre Brietzen vendidimus, apposuimus, contulimus et presentibus conferimus Myricam superius et inferius ante dictam civitatem sitam, Insuper thelonium in tacta Civitate cum lignis ad antedictum thelonium pertinentibus inter Beliz et Brietzen sepe tactam situatis, videlicet superius Wardenbrugge usque ad metam Monachorum inferius, dimidietatem medie paludis usque ad malum, aggerem et molendinum Claufsdorff ac ad agrum Vile Schepp et ultra latitudinem et longitudinem usque ad locum Carbonifandi prope Niendorff et ad arbores metam notificantes prope Brugge et Linthow et quicquid ligni aut mirice ibidem intra continetur cum omni utilitate fructibus usibus et attinentiis pacifice et quiete perpetuis temporibus possidendum. Ut igitur hec donatio nostra a nobis nostrisque heredibus aut successoribus seu ab aliquo non possit futuris temporibus immutari, presentem literam conscribi iussimus et Sigilli nostri appensione communiri. Testes huius rei sunt Nobilis Dominus Guntherus Comes de Schwartzenburg, Summus noster Consiliarius, Johannes de Buck, Tetzels de Bernstein, Advocatus noster in dicta Brietzen, Milites, et alii plures fide digni. Datum Spandow Anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo secundo. Feria sexta ante diem Laurentii Martyris.

XIX. Des Rathes zu Brietzen Privilegium für die dortige Bäckerzunft, vom 16. Dez. 1342.

In nomine Domini Amen. Ne ea, que coram nobis aguntur excidere labili videantur memoria et ne ab aliquibus in posterum attemptari poterint calumnia, ipsa litterarum serie et testimonio fecimus perhennari. Hinc est quod nos consules et jurati Civitatis Brizene Universis ac singulis presentes litteras inspecturis volumus fore notum, quod nos contulimus seu dedimus et damus Pistoribus nostris in copia opus eorum pistrinum seu vulgari sermone guldam vel Innunghe matura totius communitatis civitatis nostre premissa voluntate pariter et consensu, hiis quidem conditionibus interpositis et premissis, videlicet, quod quilibet pistorum annuatim in censu civitati det quatuor solidos denariorum parvorum usualium, quos binis temporibus anni scilicet duos solidos in festo Walpurgis et duos in

festo Martini tenebitur erogandos. Ceterum quicumque extraneorum seu intraneorum ac filiorum dictorum pistorum de dicta gulda ac opere se intromiserit vel immerferit, medium fertonem pro acquisitione ejusdem gulde nostre civitati erogabit. Preterea quicumque pistorum in dictorum unione constitutus semel in anno pinferit, censum integrum id est quatuor solidos denariorum dabit. Si autem nunquam pinferit, medium censum id est duos solidos denariorum, quorum gratia et testimonio in gilda sua et opere permanferit, erogabit. Igitur si aliquando panes in civitate defecerint, hoc precepto uidelicet si eis copia frumenti vel annone seu emendi annonam defuerit vel molere propter defectus et impedimenta molendinorum non poterint, predicti pistorum recipientes se in gratiam consulum et supra gratiam civitati triginta usualium denariorum solidos erogabunt. Item cujuscunque pistorum panes nimis parvi et exiles judicantur, civitati quinque solidos denariorum largietur, quos de scamnis civitatis vendi penitus non decebit. Item si panes quos peregrinis et circum jacentibus civitatibus vendendos detulerint, ex his si aliquos reportaverint, ipsis de scamnis civitatis eosdem vendere non licebit. Item quicumque sepe dictorum pistorum quod vulgo bolle dicitur, pro simul vel Simell pinferit ac vendiderit, matura non premissa licentia consulum et consensu, civitati quinque solidos denariorum dabit hujus modi pro excessu. Super omnia Statuimus et ordinamus, quod magistri dictorum pistorum singulis annis presentare se debent consulibus ac cum ipsis convenire juramentum facientes, quod singula a nobis instituta et ordinata velint et faciant a singulis suis confortibus inviolabiliter rite ac rationabiliter observari. Ob quam causam Nos consules panes reportatos et nimis parvos pistos in dictorum magistrorum manibus dedimus et rigore, ita ut juxta formam juramenti ab ipsis facti dictos panes vendi faciant secundum valorem et prout ipsis expediens videbitur et honestum. Testes hujus sunt Monekeberg, Hennecken Gerven, Nicol. Krappe, nicol. juvenis, Bernhardus, Johann Seehuzen, pro tunc consules et presentibus Boldewino, Cunrad Crappen, Nicol. de valle viris fide dignis. Datum anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo secundo, Decimo septimo Kalendas Januar.

**XX. Markgraf Ludwig verzeignet einem Altare in Bricen verschiedene Hebungem,
am 22. Juli 1343.**

Ludovicus, Dei gratia Brandenburgensis et Lufatie marchio, Comes Palatinus Rheni, Carinthie Dux sacrique Romani Imperii Archicamerarius, — ut eo salubrior nostri heredum et successorum nostrorum habeatur memoria, Altari sancti Michaelis, in Ecclesia Beati Nicolai civitatis nostre Bricin sito, ex mera mentis nostre liberalitate appropriavimus et appropriare decrevimus redditus sub notatos. In villa Brakewitz sedecim solidos denariorum usualium et viginti quinque modios filiginis in mansis quinque curiarum. In Bucholtz quatuor solidos denariorum cum dimidio solido, duos Choros cum dimidio et octo modios cum dimidio filiginis, et quatuor solidos denariorum cum dimidio solido. In Budorp super duos mansos octo modios filiginis, tres modios avene cum tribus solidis denariorum de quolibet. In Oltenlangerwisch unum chorum filiginis in mansis duarum curiarum. In consistorio civitatis Beelitz unum talentum denariorum prescriptorum. In censu arearum civitatis Bricen decem et septem solidos cum dimidio denariorum predictorum et in thelonio ibidem unum chorum humuli, sex modios falis, dimidium lapidem cere, unum talentum